PA6276
.S64

Specimen Lectionum in C. Val.
Catulli scripsit Leonh. Spengel,
Monacensis, Dissertatio
Inauguralis

UNIVERSITY OF NORTH CAROLINA

BOOK CARD

Please keep this card in book pocket

THE LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF NORTH CAROLINA

LUX LIBERTAS

ENDOWED BY THE DIALECTIC AND PHILANTHROPIC SOCIETIES

PA6276
.S64

UNIVERSITY OF N.C. AT CHAPEL HILL
00038949629

This book is due at the WALTER R. DAVIS LIBRARY on the last date stamped under "Date Due." If not on hold it may be renewed by bringing it to the library.

DATE DUE	RET.	DATE DUE	RET.
APR 23 1986	MAY 9 '86		

Form No. 513,
Rev. 1/84

SPECIMEN LECTIONUM

IN

C. VAL. CATULLI CARMINA.

SCRIPSIT

LEONH. SPENGEL

MONACENSIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS.

MONACHII.

IN COMMISSIS HABET LIBRARIA JOSEPHI A. FINSTERLIN.

MDCCCXXVII.

P4627
S61

Cum in veterum scriptis modo plurima intercidisse, modo quae servantur, truncata et dimidiata fere legi querendum sit, haud rari sunt autores qui utramque tulerunt sortem, ut et pauca supersint et haec ipsa magna affecta labe circumferantur. Quorum in numero inter latinos poetas principem fere locum tenet C. Valerius Catullus, doctus et lepidus atque venustus, neque possumus quin temporum invidiae irascamur et cum nostro exclamemus [1])

At vobis male sit, malae tenebrae
Orci, quae omnia bella devoratis.

Quae restant fragmenta, quamvis doctissimorum interpretum labor multam dispulit noctem, alia etiam nunc corruptissima leguntur, alia alienis adhaerent, quaedam meliorem flagitant interpretationem. Haec omnia novellis istis debemus codicibus qui ne decimum quartum quidem attingunt saeculum, pessime descriptis nec interpolatione vacuis. Paucissima enim e *Perrei* et *Puccii* libris vetustioribus fortasse [2])

---

1) carm. III, 13.

2) Perreius in fine Catulli edit. Ald.: *Annotabam et recognoscebam ego Antonius Perreius collatis vetustissimis et emendatissimis codicibus abhibita tamen auctoritate multorum doctrina insignium hoc anno* 1528. Exemplum cum omnibus Santenii libris est in Bibl.

enotata sunt; quare ni antiquiores inveniuntur, vix unquam melius restitutum Catullum legemus; nam e *Santenii* libris quorum lectiones habuit, nisi paucula Perrei ipsa sublestae fidei excipis, nullus neque aetate neque pretio ceteris iam notis praestat et qui principem facile locum obtinere dicitur a Carolo Dato Nic. Heinsio oblatus, codex Datanus anno 1463 exaratus est. Quod quum ipse omnem eius apparatum cum cura evolvi, expertus loquor. Eiusdem generis sunt *Petri Victorii* libri [3]), aliique, et veteres editiones dudum a me novam poetae recensionem paraturo excussae quam cum eodem tempore Silligius emisisset, totum dimisi opus. Licet igitur hac oblata occasione quaedam expromere, leviora quidem, sed non indigna referri.

In doctis Latinorum poetis quae ex graecis translata videntur inprimis advertenda sunt; sic enim non modo obscura clariora fiunt, sed

---

Berolin. Puccii notas sumsimus ex Victorii copiis in Bibl. Monac. Regii editioni 1481 appictas, qui in Propertii fine haec: *Hoc annotabat anno salutis . M . D . II . Augustino Scarpinella comite studiorum secutus fidem antiquissimi codicis qui primum fuit Bernardini Vallae patritii Romani viri doctissimi, dein ab eo dono est datus Alfonso secundo Regi Neapno principi litterarum amantissimo, Puccius.* Sed haec ad Propertii codicem cuius lectiones satis diligenter exhibuit, pertinent, quem eundem veterem librum Catullum continuisse non probabile est.

[3]) varietas Aldinae margini adicta, in Bibl. Monac. de qua ipse Var. lect. XXXIII, 7. *plures vidi Catulli scriptos libros nec ullum tamen ut verum fatear ex illis satis vetustum.*

quae corrupta sunt, facilius investigari atque redintegrari possunt, v. c. apud Catull. LXIV, 177:

nam quo me referam, quali spe perdita nitor!

apte contulerunt interpretes Euripidis Medeae v. 502:

νῦν ποῖ τράπωμαι, πότερα πρὸς πατρὸς δόμους,
οὓς σοι προδοῦσα καὶ πάτραν ἀφικόμην;

similiter Aiax apud Sophoclem v. 452:

καὶ νῦν τί χρὴ δρᾶν, ὅστις ἐμφανῶς θεοῖς
ἐχθαίρομαι, μισεῖ δὲ μ' Ἑλλήνων στρατός·
πότερα πρὸς οἴκους ναυλόχους λιπὼν ἕδρας,
μόνους τ' Ἀτρείδας, πέλαγος Αἰγαῖον περῶ;

sed fugit eos leve subesse verbis mendum; qui enim in extremis malis desperantes exclamant, semper status et fortunae qua nunc utuntur, mentionem faciunt[4]). Quod quum absit a Catulli versu, certo reponendum:

NUNC quo me referam, quali spe perdita nitor!

quibus latina graecis optime respondent, et quamvis codices quod scio omnes legunt *nam*, tamen externa non deest auctoritas; vetus enim huius carminis editio[5]) habet *ne*, quod nihil est

---

[4]) Vertit illa Euripidis Ennius apud Cicer. de Orat. III, 58, quem Catullum alibi quoque secutum esse inveni:

Quo NUNC me vertam, quod iter incipiam ingredi?

Salustius Catil. cap. 14. *NUNC vero exsul ... quo accedam aut quos appellem?* Cicero ad Attic. VIII, 3. *eam si NUNC sequor, quonam?* et plurima alia.

[5]) excusa anno 1493. 4to. praefationis finis hic est: *Carmen Catulli poetae Veronensis argonauticum veluti*

quam $\overline{nc} = nunc$; nam ex scribendi genere recentioribus librariis frequentato magnus fluxit errorum numerus. Similiter Ciceronis versus ex Sophoclis Trachiniis traducti laborant; dicit hic v. 1055:

> δός μοι χεροῖν σαῖν αὐτὸς ἐξ οἴκου λαβών,
> εἰς χεῖρα τὴν τεκοῦσαν, ὡς εἰδῶ σάφα,

apud Ciceronem Tuscul. Quaest. II, 8:

> *Huc arripe ad me manibus abstractam piis*
> *iam cernam, mene an illam potiorem putes.*

ineptum illud *piis*, et qui ad patrem referant caecutiunt; sed falsa est lectio, nec veram auctoris qui *Attius* non *Cicero*, ut quidam volunt, est, manum praestat. Repone

> *Huc arripe ad me manibus abstractam TVIS.*

pius et *tuus* in novellis codicibus vix discerni possunt; itaque frequenter confunduntur, vid. Doering. ad Catull. LXXIII, 2. etiam LXXV, 6. pro *pio* e nostris quidam *tuo*; conf. var. lect. Ovid. Amor. III, 9, 66. Metam. X, 451.

Apud Catullum in Galliambo LXIII, 68. legitur:

---

praecipium adortus sum, tum quod egregium et maxime venerandum, tum quod salvo studio unius cuiusque a nullis vel paucis nostrae terrae est tentatum. Huius poetae lepidissimi versus endecasyllabos, epithamios vetustatis incuria pene obrutos et negligentiae immersos diis faventibus lucubrationibus et interpretationibus diligentioribus in lucem revocare studebo. Vale iucundissime lector ex Liptzk anno salutis 1493. *undecimo kalend. Mey.*

Ego gymnasi fui flos, ego eram decus olei,
Mihi ianuae frequentis, mihi limina tepida,
Mihi floridis corollis redimita domus erat,
Linquendum ubi esset orto mihi sole cubiculum;
Egone Deum ministra et Cybeles famula ferar?
Ego Maenas, ego mei pars, ego vir sterilis ero?

quinto versu cum metrum violetur, varia excogitabant viri docti; quidam *ego nae* scripsit; veteribus semper *ne* non *nae* in usu est [6]) et animo tam vehementer commoto ab hoc loco ironia abhorret; *Ahlwardtus: egone heu*; *Nobbius: egone et* a novissimo editore receptum quo locus mirum quantum languet; cur enim tantum faciat discrimen inter *et deum ministra* atque *et Cybeles famula?* Itaque melius *Bentleius* in schedis apud Kiddium ad Dawes. Miscell. pag. 30, qui plures galliambi locos quod Silligium fugit, feliciter restituit: *Egone ut deum ministra.* [7]) Codices quidem omnes a vulgata stant lectione praeter unum membran. F. cuius usum amici liberalitas commodaverat, in quo sic scriptum: *ego nec*, inde restituendum:

Ego NUNC *Deum ministra et Cybeles famula ferar?*

illud *nec* enim est $\overline{no}$, qua nota et *nec* et *nunc* significatur, et magna cum vi, cui solum conve-

---

6) Faernus ad Ter. Andr. Prol. v. 17. Lipsius Var. Lect. III, 29.

7) cf. Bentl. ad Horat. Epist. I, 1, 91. Etiam LXIV, 196 ex codd. restituendum; *nunc misera;* et V, 7, *da mi basia* Martialis Epigr. XI, 6, 14. *da nunc basia* legisse videtur.

nit *nunc*, illum versum pronuntiat Attis. Propert. I. 16, 1. *quae fueram . . . nunc ego. .*

Carm. VIII. 14 nunc editum ex Ach. Statii emendatione.

At tu dolebis, quom rogaberis nullam,
Scelesta, noctem. Quae tibi manet vita?

omnes codices *nulla*, tum *scelesta ne te* a. h. b. i. g. c. D. F. H. P.; ceteri: *scelesta nec te*; sed verum erat in Mureti codice: *nunc*. Versus sic distinquendi:

At tu dolebis quom rogaberis nulla.
Scelesta, nunc te (quae tibi manet vita).
Quis nunc te adibit? quoi videberis bella?
Quem nunc amabis? Quoius esse diceris?

interiectis quibusdam vocabulis post *nunc te*, eadem denuo excipiuntur, quo fit ut non sine vi repetitum inveniatur pronomen de quo vid. Scalig. ad Catull. XXXVI, 9. Valkenarius ad Phoen. V. 500. Herm. ad Trachin. v. 288.

Est tamen locus quo iniuria *non* editores mutarunt in *nunc* si quid video; codicum enim lectio, modo recte intelligatur integra fere est. Versus sunt hi VI; 6.

Nam te non viduas iacere noctis
Nequidquam tacitum cubile clamat,
Sertis Assyrio fragrans olivo
Pulvinusque peraeque et hic et ille [8])

---

[8]) ita Statius et e nostris a. h. p. cum aliis Santenii; H. *hoc et illo ut hic et illo*; b. i. g. *huc et illo*; F. *haec et illo*; vulgo: *hic ut illic*; supra scripsimus cum omnibus libris *Assyrio*, vulg. *ac Syrio* ex coni. codd. P. et marg. C. *sertisque.*

Attritus tremulique quassa lecti
Argutatio inambulatioque.
Nam mi praevalet ista nil tacere,
Cur nunc tam latera exfututa pandas,
Nec, tu quid facias ineptiarum?

Sic edidit novissimus interpres, quae ineptissime interpretatus est. Varietas haec est: v. 13 omnes libri *cur non*; codd. a. g. i. h. F. H. *panda*; c. in marg. *pandam*; plurimi: *et futura*. Ex Statii emendatione fluxit *nunc*. Versus praecedens maxime turbatus; quod in textu legitur, ex Ang. Politiani est emendatione, cui proxime accedit codex C. *nam ni praevalet ista nil tacere;* a. b. h. *nam mi ista praevelat taceres;* p. F, H. *nam ni ista praevalet* [*prevalor* g.] *nihil tacere;* ceteri omnes: *nam ni praevalet ista, nil taceres*. Nos donec aliquis melius invenerit, in vulgata acquiescemus lectione. Duas profert Catullus rationes quibus verum dixisse demonstretur, alteram a re externa, alteram multo graviorem a persona; mittamus, inquit, haec externa, nonne tu ipse luculentum praebes testimonium? Itaque cum dixisset: multo melius est, omnia fateri et nihil tacere, quaerentem fingit amicum qui admirans exclamat: cur non? cui Catullus gravius illud argumentum ab ipso Flavio sumptum suggerit. Versus sic scribendi:

Nam mi praevalet ista nil tacere.
Cur non? Tam latera exfutura pandas,
Nec tu quid facias ineptiarum?

Fuit levissimum quoddam quod ignoratum et aliorum et Catulli locos corrumperet; quo

diligentius enim cuiusvis scriptoris dicendi rationem perscrutatus eris, eo facilius quae si qua minus recte leguntur, reponenda sint invenies. Solet ille ex Graecorum more nulla adiecta coniunctione eidem voci duo addere epitheta; idque non solum quod nihil habet offensionis tum quum alterum substantivo arctissime adhaeret et unam quasi efficit notionem ut ap. Terent. Adelph. I. 1, 17.

Ego hanc clementem vitam urbanam atque otium [9])

Secutus sum.

sed etiam ubi nulla apparet haec adiectivi voci adhaerens vis. v. c. initio libri

quoi dono lepidum novom libellum,

Quod si tenuissent editores, quid reponendum erat carm. XLVI, 10. non multum haesissent:

longe quos simul a domo profectos
diverse variae viae reportant.

ita quidam libri, alii *diversae varie.* Aldus *diversos variae;* codex Minturni apud Santenium *diverso variae*; sed haud pauci ex iis quorum lectiones notae, quibusque accedunt e nostris a. b. h. i. n. D. H. cum edit. principe

diversae variae viae reportant.

quod verum est; tum enim inprimis coniunctio desideratur, si similis vel eiusdem fere adiectiva sunt significationis v. c. in Aristoph. Ran. v. 347.

---

9) Bentleius et hic voluit: *vitam urbanumque otium*, quamvis satis dubius; non enim in textum recepit. conf. idem ad Horat. serm. I, 9, 30.

χρονίους ἐτῶν παλαιοὺς ἐνιαυτούς

et haud scio an et in Soph. Trach. v. 552.

ἦν μοι παλαιὸν δῶρον ἀρχαίου ποτε
θηρός.

reponendum sit ἀρχαῖον; utrumque enim veteres et latini et graeci coniungere solent. [10]) In carmine XIV. 7.

quod si ut suspicor hoc novum ac repertum,
munus dat tibi Sulla literator

optime codices g. F. G. H. *novum est repertum*, Datanus *novum hoc repertum.* Apud Terent. Heautont. VI, 1, 36.

ut stultae et miserae omnes sumus
Religiosae

non *misere*, ἀθλίως; sic in nostro coniungendum videtur LXIV, 119, *misera ingrata* nec *misere* mutandum. Eadem ratione corrigendus versus LXIII, 49, qui vulgo ita legitur:

ibi maria vasta visens lacrimantibus oculis
patriam allocuta moesta est ita voce miseriter,

alter versus ex emendatione Mureti, ne metrum violetur; vulgo: *allocuta voce est ita moesta miseriter.* g. G. Edit. princ. *collocuta; miseriter moestula* a. g. G; *miseriter moestus* cod. Datanus; b. h. i. u. *miseritur molestas;* C. F, P. p. *est ita voce misertus* [*miseritus* P. *miseriter* F.] *maiestas.* Sed Puccius et inde apud Perreium exstat: *misera moestu-*

---

[10]) vid. Lindem. ad Plauti Trin. II, 2, 106. conf. Reisig ad Oedip. Colon. pag. 335. Erfurdt ad Eurip. Orest. v. 1580. p. 571 Schaef. Elmsleius ad Heraclid v. 750.

la, quod haud dubie ex vetere eius codice fluxit, alterum vero adiectivum temere in adverbium *miseriter* abiit. *Moestula* autem, non *moesta* Catullum scripsisse inde patet, quod eum perditum fere deminutivas voces adamasse invenimus. Integer versus itaque sic reddendus:

Patriam allocuta voce est ita moestula misera.

Alia quoque ad eandem rationem ex scriptis refingenda v. c. LXIV, 11, nunc:

illa rudem cursu prima imbuit amphitriten.

sed omnes Statii libri et e nostris a. b. i. p. u. D. F. P. cum Edit. princ. *primam*, quod verum, Statio quoque probatum, nisi quod is duplici epitheto offensus *rudi* coniecit, et sane Datanus *rudiit*, sed nihil mutandum. In eodem carmine, v. 126.

Ac tum praeruptos tristem conscendere montis,
unde aciem in pelagi vastos protenderet aestus.

ita nunc omnes ex Puccii ut videtur emendatione; Edit. princ. Statii libri, et ex nostris F. C. p. *tristis*, ceteri omnes multitudinis numero *tristes*, Datanus *tristes offendere*, certo et hic ut alibi pluralis scribendus *tristis*, sensu qui dicitur activus, montes qui tristitiam excitarent; quod cum non attendissent, falso correxerunt. Sic defenditur vulgata omnium codicum lectio XI, 3.

littas ut longe resonante Eoa
tunditur unda.

quod quum respuerent, certatim *resonans* e

coniectura posuerunt; id si in libris fuisset, illos *resonante* emendaturos esse me persuasum habeo. De adiectivis quod diximus, idem valet de adverbiis v. c. XXXVI, 10.

Et hoc pessima se puella vidit [11])
iocose, lepide vovere Divis.

ita codices et nostri et priorum ad unum omnes. Vulgo e coniectura: *iocose et lepide;* Scaliger acutius, sed frustra: *ioco se lepide*, Aliorum quoque scriptorum locos emendatione indigere editores censebant v. c. Cicer. Attic. v, 8 *malus emptor alienus*, ubi Schützius cum Graevio: *et alienus.* Illam loquendi rationem praeter latinorum ferme usum esse dicit Hadr. Junius Animadv. IV, 11; alterum si participium est ferri posse duo epitheta dicit Ernestius ad Tac. Histor. II, 93. Sed meliora docent Goerenz ad Cicer. Legg. pag. 38, et Obbarius in Archiv für Philologie und Paedagogik I, 1. pag. 147 seq. De Catullo verum iam vidit Luc. Fruterius Coniectan. Veris. III, 2.

Quod modo diximus deminuta vocabula Catullo valde frequentata esse, id quo magis quam singulare sit nostro poetae, eluceat, exemplis illustrabimus; plura enim apud hunc quam ceteros omnes poetas inveniuntur; v. c. *Septimillus* 45, 13. Veranniolus 12, 16. 47, 3. *epistolium* 68, 2, *suaviolum* 99, 2, 14, *solatiolum* 2. 7. *munusculum* 64, 103.

---

[11]) ita omnes fere nostri codices cum editione principe, quod verum est; hoc Volusio, i. e. hunc poetam si vovet, vidit bene se pessima vovere diis. Vulgo cum codice Datano *haec pessima.*

68, 145. *zonula* 61, 63. *tabella* 32, 5. 50, 2. *lacrimula* 66, 16, *auricula* 67, 44. *palmula* 4, 4, 17. *aureolus* 2, 12. 61, 167. *turgidulus* 3, 18. *turpiculus* 41, 3. *agellulus* 20, 3. *flosculus* 24, 1 *ponticulus* 17, 3. *versiculus*, 16, 3, 6. 50. 4. *hortulus* 19. 18. 20, 4. 61, 92. *molliculus* 16, 4, 8. *floridulus* 61, 193. *pallidulus* 65, 6. aliaque quae saepissime repetuntur ut *labella*, *puellula*, neque semel sed usque occurrunt eaque congerens gaudet Catullus v. c. XXV, o et LVII, 7

Quae nunc tuis ab unguibus reglutina et remitte,
ne laneum latusculum manusque mollicellas
inusta turpiter tibi flagella conscribillent.
Uno in lectulo erudituli ambo.

haec ut unum alterumve locum restituamus laudavimus; etenim primo in versu veteres editiones, ut Reg. non *unguibus*, sed *ungulis*; quod ne notatum quidem est; qui vero putant Thalli furto minus ungulas quam ungues convenire falluntur. In carm. XVII, 14.

Quoi quum sit viridissimo nupta flore puella
et puella tenellulo delicatior haedo,
asservanda nigerrimis diligentius uvis
ludere hanc sinit ut lubet nec pili facit uni.

duo ex nostris scripti g. G. legunt *nigellulis*, pulcherrime ex solemni Catulli usu; nam explicatione mihi natum videtur: *nigerrimus*. Et LXI, 115 nunc.

O cubile quot, o nimis
Candido pede lecti.

quibus stellulae in editt. praefixae sunt; desunt enim plura. Mirum intepretes quam male haec sequentibus conveniant non vidisse; fefellit eos alter versus quo stropham finiri censerent. Sed Puccius meliora in suo invenit libro; dicit enim: *ita habet alius codex:*

O cubile quod omnibus
candido pede lectulis

iam quae sequi debebant omissa sunt: lacunae igitur signa non ante, sed post hos versus reponenda sunt.

Aliud Catullo inprimis familiare hoc est; duas quae cohaerent voces alteram principio, alteram fine versus quibus caetera includantur collocare solet; idque in reliquiis huius poetae tantopere repetitum legitur, ut eum hac verborum positione exquisitiore si liceret ubique usum inveniamus, v. c.

Ferreo canis exprimamus ore.
Tuo stetisse dicit in cacumine
Tuo imbuisse palmulas in aequore.
Isti di mala multa dent clienti.
Paucis si tibi di favent diebus.
Quantos illa tulit languenti corde timores.

et plurima alia; imo eadem vox versum incipit atque finit, v. c. XLII, 2.

omnis undique, quotquot est omnis.

inde restituendus est versus carm. XXIX, 17.

Quid est, alit sinistra liberalitas
Parum expatravit? an parum helluatus est?

hic enim Puccius ex vetere codice, et inde apud Perreium quoque qui Puccii copiis usus est exstat, notavit:

parum expatravit, helluatus est parum.
quod verissimum est; salsa enim haec pronuntiantur ironia, (unde exclamandi signa tollenda esse apparet) quam qui solvit, quod nunc legitur scripsit: an parum helluatus est?

Et fortasse hac ratione sanari potest corruptus qui exstat versus VIII, 9. ubi in omnibus codicibus ultimus desideratur pes:

Nunc iam illa non volt; tu quoque impotens

potior lectionis varietas haec est: Edit. princ. g. D. G. R. *iam nunc* — Edit princ. a. D. G. P. R. *impotens es*; c. *impotens* et in marg. *inepte et impote*; h. i. *impote*; F. *impete*; H. *ipse te.* Ex his *impote es* Catulli esse unde reliqua originem duxere quisque videt, et versus finis restituitur, si quae in principio extat varietas huc trahamus; sic enim et cur exciderint et unde nata sit vocum transpositio optime docemur, et integrum versum Catullus ita mihi scripsisse videtur:

nunc iam illa non volt; tu quoque impote es
iam nunc.

Secundo carmine tres adhaerent versus qui praecedentibus non optime conveniunt;

Tam gratum mihi, quam ferunt puellae
pernici aureolum fuisse malum,
quod zonam soluit diu ligatam. [12])

itaque Statius et ante hunc iam Guarinus deperditi carminis esse fragmentum statuunt quod verissimum esse nunc ex Perrei codice proba-

---

12) hic idem versus inter Priapeia, ubi item ligatam exstat, non quod Avantius in suo codice invenisse dicit, negatam.

tur qui haec inde notavit: *in vetusto codice spatium est hic longum* [scilic. post v. 10.], *postque sequitur:*

tam gratum mihi quam ferunt puellae.

Quae his praemissa sunt, non ex omni parte sana leguntur; novissimus certe editor in librorum lectione explananda infeliciter lapsus est; hoc certissimum septimum versum: *Et solatiolum sui doloris* arctissime nectendum esse primo, quaeque subsequuntur veluti per parenthesin dicta consideranda, et cum e nostris libris Codex p. habet: *credo ut gravis acquiescet;* P. C. *credo ut cum gravis actum quiescens*; H. *credo quum gravis acquiescet*, non dubito veram esse eorum emendationem qui corrigerent

credo [ut] tum gravis acquiesset ardor,
tecum ludere sic ut ipsa possem.

Quemadmodum tres illi versus superioribus male adhaerent, ita et septem priores Lucani carmini a Seneca suppositi dicuntur, quam opionem doctus editor Weber tom. II. pag. 425–29. refellere studuit. Huius sententiae nova nunc addamus argumenta quibus melius stabiliatur, et quantum in nobis est originem indicemus. Etenim versus illos a Lucano scriptos esse ideo iam certissimum est, quod qui eius aetati proximus, *M. Corn. Fronto* pag. 125 seq. Nieb. (id vero fugit Weberum), de ipsis septem his versibus, carminis prooemio, severam agit censuram quem illam de Seneca fabulam, si tum nota

fuisset, ignorasse quis est qui credat? Ridiculum sane erat, si huius poetae errores perstringere cupiens, hoc ut ostenderet, alius, non Lucani examinasset versus. Accedit Priscianus tom II. pag. 49 Krehl. qui octavum laudans versum, *Lucanus*, inquit, *in primo*. Cui si priora spuria fuissent, *in principio* vel *initio* dicere debebat. Sed quae primus scholiorum auctor, Polemo fortasse, [13]) notavit, prorsus aliud atque nunc putant voluit. Qua in re nos adiuvant codices Lucani Monacenses.

Codex Ratisb. saec. XII. Scholia primi folii recti erasa sed restant adhuc verba:

versus isti sunt Senecae non Lucani usque Quis furor.

Codex Emeran. saec. XI.

hos septem versus primos Seneca dicitur addidisse ut quidem volunt avunculus, ut quidam, frater.

uterque ad versum septimum; his tamen nil lucramur nisi quod verba: *ut quidam frater* e nullo codice laudata inveniuntur; etenim prima interpretum enotata, qui deinceps sequebantur, multiplici modo varie augebant, ut in scholiorum farragine verum auctorem eiusque verba reperire fere sit desperandum.

Codex Benedict. in primi versus margine sic:

hoc principium non Lucanus fecit, sed Seneca avunculus eius eo mortuo praeposuit superiores versus.

---

[13]) vid. Lydus de magistrat. pag. 234. Fuss. Bentleius ad Lucan. pag. 9. Web.

quosnam? nulli enim praecedunt. Frustra esset de hac re longius quaerere nisi codices Bibl. Florent. et e Monacc. CCCXXII (saec. XII.) atque CCCIXL. (saec. XIII.) auxilium ferrent; in his enim ab eadem manu quae textum exaravit, versus praepositi:

Cordula me genuit, rapuit Nero, proelia dixi
Quae gessere pares, hinc socer atque gener.
Continuo nunquam direxi carmina ductu,
Quae tractim serpant, plus mihi comma placet. [14])

qui versus incerti sunt auctoris. Quid multa? Hi sunt Senecae quos Lucano mortuo carmini praeposuerat. Quod quum scholiasta primus, sive Polemo, sive alius notasset et cum fide auc-

---

[14]) Versu secundo Cod. 322. *pater hinc;* sed in neutro scholiis plurimis referto de Seneca aliquid proditum, In codice vero Emer. F. VIII. fini operis Lucani quatuor illis versibus sex alii (certo non eiusdem auctoris, Senecae) adhaerent, qui sequuntur:

Fluminis in morem quae sunt miranda citentur
Haec vere sapiet dictio quae feriet.
Carmina si fuerint te iudice digna favore
Reddatur titulus purpureusque nitor;
Sin minus, aestivas poteris convolvere sardas
Aut piper aut calvas hinc operere nuces.

Ex secundo versu *bella plus quam civilia* quae sint intelligimus. Ita Seneca Phoen. V. 354.

non satis est adhuc
civile bellum, frater in fratrem ruat.

quod uno verbo noster adumbrat, id hic fusius depinxit. Iam vero si hoc est acumen captare, doceant nos quid sit libere et ingenue rem magnam exprimere. Vid Bentleius ad VI, 169, et conf. VII, 95, 182, 321.

torem tradidisset, postquam in multis libris erant omissi, factum ut adnotationem illam ad ipsius Lucani carmen eiusque septem priores versus pertinere falso censerent. Quod huius poetae mentionem fecimus, adnotare licet pauca de versu octavo:

Quis furor, o cives, quae tanta insania ferri [15])
Gentibus invisis Latium praebere cruorem?

Lambinus ad Horatium, adnotante Burmanno, tacite laudat: *praestare cruorem.* Fateor me frustra in mea Lambini edit. Francof. 1577. illa quaesivisse. Vulgatam lectionem omnes hucusque collati libri centum ad minimum servant, ita ut memoriae lapsu varietatem Lambinus dedisse videretur. At non est memoriae lapsus, sed saeculi potius quo codicum lectiones docti tacite inferebant, vitium. Codex enim Ratisbon., nunc Monac. dilucide in textu exhibet *praestare*, addito glossemate: *effundere praebere;* ceteri Monac. sex numero omnes in versu *praebere;* e quibus cod. Benedict. supra: *effundere.* Haud raro vero accidit ut verbum *praebere* hoc sensu magis frequentatum, in genuini locum *praestare* succederet; vid. var. lect. Ovid. Metam. X, 738. Ars. Amat. III, 665.

---

[15]) Ita invenit Bentleius in vetustissimo Prisciani codice; vulgo omnes Lucani libri: *licentia ferri;* quod mihi quoque illius explicatio esse videtur. Fortasse in animo habuit Lucanus Virgilii versum Aen. II, 40.

Laocoon ardens summa decurrit ab arce
Et procul: O miseri quae tanta insania cives?

Carmine VIII, 3 seqq. leguntur:

Fulsere quondam candidi tibi soles,
Quom ventitabas quo puella ducebat,
Amata nobis quanta amabitur nulla,
Ibi illa multa tam iocosa fiebant,
Quae tu volebas nec puella nolebat.
Fulsere vere candidi tibi soles.

hic viros doctos iam dudum offendit *ducebat*, neque iniuria; non enim dicere vult se a puella ductum, sed in locum quendam a puella designatum venisse. Itaque scripserunt *dicebat*, (vulgata ex praecedenti *ducas* nata videtur), quod ni melius exstaret in codice nostro F., praeferrem; hic vero trittographiam exhibet, a prima manu, *docebat*, a secunda *dicebat* et *ducebat*, e quibus primum cum longe praestet, illud enim proprium est in his rebus vocabulum, sine haesitatione in textu reponendum. Ibidem *tam iocosa* ex Scaligeri coniectura legitur; libri fere omnes *tum*, quod ex veteris linguae ingenio omnino locum suum tenere possit. Sed Avantius quo ultimus versus apodosis reddatur scripsit *cum*, quae non grata est interpolatio, sed ex libris hausta lectio; nam codex noster H. item Editio princeps habent: *quom iocosa*, quod quum sic iis quae praecedunt haec nunc optime annexa legantur, mihi quoque praeferendum videtur.

Carmine XXXIV, 21, nunc legitur:

Sis quocunque placet tibi
Sancta nomine, Romulique
Antiquam, ut solita es, bona
Sospites ope gentem.

quam lectionem cum editione principe et quae hanc sequuntur, Codex R.; ceteri fere omnes et nostri et editorum *antique*, quod multo difficilius a librariis mutatum videtur; mihi vera est codicum scriptura *antique*, arcte sequentibus coniungenda, id est, ut iam ex antiquo tempore, ut dudum solita es, ita etiam nunc et in futurum sospites. Vetus enim Romanorum lingua contra posteriorum temporum morem solemnem, quae acuitur vox longius quam exspectes praeponere solet v. c. *ut Plautus quod scribit*, pro *ut quod Plautus scribit*. Sic Catullus XXXI, 3, ubi nunc

Quam te libenter, quamque laetus inviso.

sed multi e nostris scriptis: *libente*, id est, ut iam Passeratius cum Marcilio correxit: *libens te*. Similiter L. 7

Atque illinc abii tuo lepore
Incensus, Licini, facetiisque,
Ut nec me miserum cibus iuvaret
Nec somnus tegeret quiete ocellos;
Sed toto indomitus furore lecto
Versarer cupiens videre lucem
Ut tecum loquerer, simulque ut essem.

hic enim optimus Victorii codex. g. legit: *tecumque ut essem*, sine dubio praeferendum.

Item XXXVII, 11, ubi scripsit nuperus editor:

Puella nam mi, quae meo sinu fugit.
Amata tantum quantum amabitur nulla,
Pro qua mihi sunt magna bella pugnata,
Consedit istic.

illud *mi* ex coniectura dedit Silligius, quam ean-

dem et Nic. Heinsius invenit, alii *mea*, alii alia, codices omnes *me*; distinguendum:

Puella nam, me quae meo sinu fugit,
Consedit istic.

Tertius carminis XXXIV versus non ut editor novissimus dicit primum in Aldina I. legitur ex coniectura, sed ex libro a Palladio restitutus apparet iam in eius editione an. 1496; *sed lector*, inquit, *adverte quod in novis codicibus tam impressis quam manuscriptis deest tertius versus: Dianam pueri integri, quem nos in vetustiore inventum suo loco audacter reposuimus.* Omittunt nostri quoque codices librariorum errore, quorum oculi ab uno *integri* ad alterum mediis neglectis, aberrarunt; sed in margine codicis C. extat:

Dianae pueri integri F.

id est, liber unde ductus iile versus, littera F. notatus est. Eadem legebantur in Pontani codice unde Perreius: *dianae pueri integri. Pont. ex vet. cod.* Sed optime Palladii liber *Dianam.*

Carmine XXXIX, 7.

Hunc habet morbum
Neque elegantem ut arbitror, neque urbanum.
Quare monendus es mihi, bone Egnati.

in altero versu satis multi libri omittunt *ut*; tales coniunctiones aeque atque *est*, *sunt* aliaque plurimis locis aliena manu poetis afficta inveniuntur. Tum libri nostri omnes cum editione principe: *monendum est*, et vulgatam ni fallor

primis debemus editoribus. Iam codicum lectione cum metrum violetur, non dubito reponendum esse:

Quare monendum te est mihi, bone Egnati.

quae loquendi ratio antiquis usitata est. vid. Bentl. ad Terent. Phorm. II, 1, 19. Gernhard ad Cicer. de senect. pag. 15. Multis locis Catullum veterem linguam secutum esse probatur quare et in scribendi ratione recte eam editor novus restituit, sic v.c. nominandi casu legitur LXI, 55, *novos maritos;* prius quidem nec Augusti aetate aliter prolatum et ubique vetustissimi codices post litteram *v* non *u*, sed *o* servant [16]). Plura praebent Catulli codices, ut v. c. L, 10

Nec somnus tegeret quiete ocellos

codex noster F. antique *somnos*. idem XLV, 21, *Septumius* pro vulgato *Septimius* [17]) et in primo versu *septimos*, fortasse *Septumios* loco vulg. *Septimius*. Mirum tamen editorem *pulcher* aliaque reliquisse.

In Galliambi versu 85 ex Mureti emendatione vulgo scribunt:

Ait haec minax Cybebe, religatque iuga manu;
Ferus ipse sese adhortans rapidum incitat animum.

Editiones ante Muretum *adhortatus*, quod cum versui repugnet *adhortans* correxitquo·

---

[16]) Vid. Bentleius ad Horat. Carm. II, 14, 27. Bosius ad Cicer. epist. ad A. Hic. II, 1. Kidd. ad Dawesii Misc. crit. pag. 187. Niebuhr ad Cic. de Rep. pag. 354

[17]) Vid. ad Varronem pag. 12. 388.

metrum restitutum est; at ipsum illud *adhortatus* editorum priorum est emendatio; et primum apparet in Edit. Regii Lepidi quae sic:

Ferus sese adhortatus lis rapidum incitat animo.

unde Victorius (non ex codd. ut male dicit Silligius) hanc commendavit lectionem ad Cicer. Epist. Famil. XVI, 18, pag. 182. tom. II. Graev. Calphurnius et qui plurimi hunc secuti:

Ferus sese ipse adhortatus rapidum incitat animum.

Sed prorsus diversa inveniuntur in scriptis libris; plurimi enim e nostris cum Edit. principe *adorta lis*, unus vel alter *adortalis*; pauci servant *ipse*, omnes vero exhibent *animo*, duo etiam *rapido*. Itaque et *animum* ex Calphurnii correctione natum videtur et quamvis ille casus nihil habet quod offendat, tamen invitis omnibus scriptis libris non est intrudendus; et fortasse auctor ideo correxit ut melius conveniret adiectivo *rapidum*. Sed quaeritur quomodo sit corrigendum illud *adortalis*; deficit enim qua integrum fiat metrum, una syllaba. Quod mihi quondam in mentem venerat, id postea codice Dresdensi confirmatum, et iam dudum a Vossio ex Mediol. allatum vidi, in quibus sic exstat:

Ferus sese ad ora talis rapidum incitat animo.

etenim quod de homine vulgo ἀπὸ τῆς κεφαλῆς εἰς τὸν πόδα, id de leone dictum a poeta a talis ad ora, quo sensus evadat ferum sese totum et omnem animo rapidum incitasse.

Ultimis carminis XIV versibus

Vos hinc interea valete, abite
Illuc unde malum pedem attulistis
Secli incommoda, pessimi poetae.

in omnibus scriptis et antique excusis libris tres adiuncti sunt alii, qui ut nunc leguntur, stare non possunt:

Si qui forte mearum ineptiarum
Lectores eritis manusque vestras
Non horrebitis admovere nobis.

itaque meliores interpretes omnes deperditi esse alicuius carminis fragmentum recte putabant; non tamen possum quin hic *Fr. Puccii*, acuti viri, emendationis quamvis ipse non multum probavit, mentionem faciam eiusque adnotationem nondum editam integram exhibeam. *Principium*, inquit, *alterius hendecasyllabi cuius desiderantur reliqua, ut in aliis multis. Possit quidem continuari ita:*

Sic qui forte mearum ineptiarum
Lectores eritis manusque vestras
Non horrebitis admovere nobis.

nec recuso inquit quin ita quoque faciatis versibus meis quos ut malos proiiciatis, si qui in eos incideritis. Durior tamen sensus parumque loco conveniens. Erunt fortasse qui hanc sagacem coniecturam etiam contra Puccium auctorem servare velint; etenim loco optime haec conveniunt, si totius carminum libri epilogum esse finxeris. Tamen cum plurima in Catullo exciderint et si qua supersunt verba pauca, haec frustra aliis annectas, nec in illis hoc auxilium admodum quidem vicinum et aptum suadeam.

Carm. XXX, 2.

iam te nil miseret, dure, tui dulcis amiculi,
iam me prodere, iam non dubitas fallere perfide.
nec facta impia pellacum [18] *hominum coelicolis*
placent.

altero versu plerique omnes et nostri et aliorum cum Edit. princ. *iam prodere iam me non*, quidam pronomen omittunt; quod cum metrum offendat, quod nunc in contextu legitur, restituerunt. Sed pronomen facile intelligendum ab aliena manu assutum videtur, et versus prima voce geminata ita legendus:

iam iam prodere, iam non dubitas fallere perfide.

Similiter apud Catullum LXVII, 27, omnes fere libri

et quaerendum unde foret nervosius illud,
quod posset zonam solvere virgineam.

ubi optime Statius: *unde unde* [19] quod velim servasset editor novissimus.

Carm. LXIV, 73.

Illa tempestate, ferox quo tempore Theseus
egressus curvis e littoribus Piraei
attigit iniusti regis Gortynia templa.

---

[18] Ita *ex vet. codice* apud Perreium notatum; ceteri omnes *fallacum* quod in locum vocis minus usitatae successisse videtur.

[19] Horat. satir. I. 3, 88.

Mercedem aut nummos unde unde extricat.

conf. Muretus Var. Lect. VI, 14. Editio princ. *et quaerendus et unde;* b. h. i. u. F. R. H. *et quaerendus unde*, solus Commelin. *quaerendumque nec unde.*

Ita codd. D.G.P.; *feroxque ut* b. h. i. u. p. alii cum editione principe *ferox et tempore;* omnes Statii *feroxque et tempore*; quod haud scio an ceteris sit praeferendum, certe vulgata lectio vix latina est. Illud ut probem, movet me in primis *Lucilii* versus apud Gellium III, 14.

Tempestate sua atque eodem uno tempore et horae
dimidio, tribus confectis dumtaxat eandem
et quartam.

HAEC si latinorum poetarum amicis litterarumque studiosis non improbentur, omnes Catulli locos qui sunt corrupti aut alia laborant difficultate, partim ex librorum nostrorum copia quorum ope plura restituere possumus, partim ingenio duce pro virili sub examen vocare studebimus.

1) Graecorum philosophorum placita ex variis et diversis Graecorum gentibus originem ducunt ita ut quod cuique proprium sit genti, idem in philosophis appareat.

2) Graeci sophistae ad philosophiam excolendam haud parum contulerunt.

3) Qui dicunt Pythagoreos monadem posuisse infinitum, Platonem contra dyadem ut utrorumque plane inversa sit ratio falluntur.

4) Vera Platonis idearum ratio qualis sit etiam Aristoteles agnoscit.

5) Tribus modis Rempublicam esse describendam veteres putabant.

6) Socratis imago a Xenophonte ita delineata est ut ab una tantum satisfaciat parte, majora vero et graviora desiderentur.

7) Quis sit finis Sophoclis fabulae Antigonae nomine inscriptae, nondum quisquam perspexit.

8) Coemtionis nomen inde natum quod nubentes veteri lege Romana asses tres ad maritum venientes solebant ferre atque unum quem in manu tenerent tanquam emendi causa marito dare.

9) Qui putant lege Voconia salva cujusvis patris filiam si unica esset, vel amplissimam hereditatem capere potuisse falluntur.

10) Oratio Lysiae in Platonis Phaedro neque ipsius Platonis est, neque alius quam oratoris, Lysiae; qui enim ex temporum rationibus no-

vum procudit Lysiam sophistam, Taylorus, in his subducendis lapsus est.

11) Oratio Lysiae supra laudata non est vera oratio et ideo inprimis contra Platonis vituperium excusandus est auctor.

12) Quo majorem lingua habet vocum flectendarum facultatem, eo longius in cogitando populus provectus est; qua in re linguam latinam, graecam et quae sanscritae nomine gaudet, ceteris praestare videmus.

13) Formarum et syntaxeos doctrinae quo fiat perfecta gramatice, tertia pars que syntaxin excipit, de orationis compositione addenda est.

14) Rhesi fabula Euripidis est, sed cum a majoris ingenio plane abhorreat, junioris.

15) Rhetorica ad Alexandrum quae dicitur, neque ad Alexandrum scripta neque Aristotele autore composita est.

16) Hesiodi versus corruptus qui legitur apud Fulgent. Mytholog. III, 1. (Nro.. LXXXVI. apud Gaisf.) ita ustituendus:

. . προῖτος σταφυλῶν ἐϋλακτιζομενάων
Αἱματοέντι δρόσῳ . . . . . .